



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 6. Alexandri Sfortiæ Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. teris creditoribus præferantur, atque  
 A.C. 1581. eis præprimis pecuniæ ob concessum  
 panem debitæ persolvantur.

## §. VI.

*Alexandri Sfortiæ Cardinalis obitus.*

*Andr. Visto-  
 rel. in addit.  
 ad Ciac. t. 3.  
 pag. 560.  
 Aubery vie  
 des Cardin.*

Interea eodem hoc anno Sfortia, & Urfinus Cardinales vivis erepti fuerant, quorum primus nomine Alexander Bosii II. sanctæ Floræ Comitis, & Constantiæ Farnesiæ filius, ac proin Pauli III. Nepos erat. Hic percurio studiorum curriculo adhuc juvenis Romanam contendit, ubi primo Vaticanæ Basilicæ Canonicus, & postea Cameræ Apostolicæ Clericus nominabatur, quibus tamen dignitatibus ob triremes, quas ejus Frater reddere apud Centum cellas recusavit, a Paulo IV. spoliatus fuerat, ad non nullorum tamen Cardinalium preces, postquam ejus Frater triremes reddierat, iisdem restitutus est ab eodem Pontifice, cujus gratiam ob pacem, quam Guido Ascanius Cardinalis frater inter ipsum Pontificem, & Philippum Hispaniæ Regem conciliaverat, fuerat promeritus: cum autem anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo nono tota Italia ingenti annonæ penuria premeretur, Alexander unacum Florentino Episcopo populi necessitatibus succurrere adlaborabat

rabat, tanto fuzæ sollicitudinis successu, ut dum uniuersa Italia extremam famem toleraret, sola Romana Urbs re frumentaria abunde provisa populi miserias sublevare posset. Postea idem a Pio IV. in Episcopum Parmensem cedente ipsius fratre anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo die vigesima sexta Aprilis eligebatur, & ad Concilium Tridentinum mittebatur: porro ipso Cardinale jam vita functo, Presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ in via quinto post anno renunciatus est: sub Gregorio autem decimo tertio, a quo unice diligebatur, S. Mariæ Majoris de urbe Archipresbyteratum, Signaturæ justitiæ Præfecturam, Hispaniarum protectionem, totiusque ecclesiastici status legationem obtinuit, quo munere adeo prudenter fungebatur, ut ex eo, quod vitæ securitatem populis restituerit, necnon patriam a proscriptis, & latronibus expurgarit, a Faventinis civibus marmorea statua perhonorificis inscriptionibus ornata donari meruerit. Interfuit is Comitibus Pontificiis, in quibus renunciati summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII., sub quo repentino casu Maceratæ in Marchia Anconitana die Martis decima septima Calendis Junii, hora decima octava, anno Salutis millesimo quingentesimo octogesimo primo

Sæcul. XVI.  
A.C. 1581.

Sæcul. XVI  
A. C. 1581.

primo animam Deo reddidit, cujus corpus Romam deportabatur, atque in sacello, quod pro ejus familia in S. Mariæ Majoris Basilica extructum est, condebatur in nobilissimo sepulcro, quod vivens sibi erexerat, e regione alterius, quo Cardinalem Ascanium Sfortiam fratrem suum donaverat.

§. VII.

*Flavii Ursini Cardinalis mors.*

Ciaccon.  
p. 911. Vi-  
Elorel. ibid.  
Franc. San-  
ler. de famil.  
Ursin.

Flavius Ursinus patria Neapolitanus, seu ut alii volunt Romanus ex nobilissima Ursinorum familia ortum duxit, Filiusque fuit Ferrantis Gravinae Ducis, & Beatricis Ferellæ, quæ Alphonsi Comitis Murani Filia erat. Ceterum Flavius a Pio IV. ex utriusque Signaturæ Referendario, & Cameræ Apostolicæ Auditore Episcopus Muranensis in Apulia renuntiabatur, atque anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Spoleitanus Antistes creabatur, demum vero biennio post Presbyter Cardinalis S. Joannis ante portam latinam, & deinde SS. Petri, & Marcellini nominatus fuit, & propter juris Pontificii, & rerum civilium diuturnum usum, vitæque exemplum, prudentiam, gravitatem, humanitatem, abstinentiam, & animi moderationem, atque integritatem  
a sum-